

tunam occasionem nactus concaptivos tum verbis tum exemplis ad urgentem mortem christiane subeundam cohortatus fuerit, et peccatorum contritione atque absolutione præparaverit. Certum saltem est oēs et singulos una cum suo Missionario flexis pie genibus diu et alta voce multas preces cecinisse quas barbari ex quibus hæc rescivimus vocabant *canticulam ad sursum eundum*. Eosdem pios cantus repetebant, dum in duos rogos ducerentur aut qui præ vulneribus incedere non poterant, veherentur. nec eosdem mediis in ignibus intermisere, donec flammis semiusti aut suffocati ceciderunt. Quod quidem magnam movit barbarorum admirationem ita ut quos irridendo mulierculas appellaverant, eosdem viros hōes sæpius conclamaverint. . . .

Pro 12 sacerdotibus annuam solvit pensionem rex christianissimus. . . .

4 degunt sacerdotes in Illinensi regione quadringentas ad minimum leucas hinc distante. Duo duas Gallorum parœcias, duo alii duas indigenarum quorum multi sunt Xⁿⁱ, missiones excolunt.

hic in nova Aurelia primaria aut potius adhuc solâ vastissimæ hujus regionis urbe duo degimus sacerdotes cum duobus ff. coad. Socius meus Xenodochii et militum missionarius est, simulq. monialium S. Vrsulæ confessarius. Ego habitationis nostræ servos, (qui sunt nigri) et quam possum aliunde plurimos ad christianos mores informo. præsum sodalitio artificum quod non ita pridem institui, confessiones audio